

III

AD MELPOMENEN

*Glyconico-Asclepiadens*

Quem tū, Melpomenē, semel  
Nāscentem placidō lūmine vīderis,  
Illum nōn labor Isthmius  
Clārābit pugilem, nōn equus impiger  
Currū dūcet Achāicō  
Victōrem ; neque rēs bellica Dēliīs  
Ōrnātum foliīs ducem,  
Quod rēgum tumidās contuderit minās,  
Ostendet Capitōliō :  
Sed quae Tībur aquae fertile praefluunt,  
Et spissae nemorum comae,  
Fingent Æoliō carmine nōbilem.  
Rōmae, prīncipis urbium,  
Dīgnātur subolēs inter amābilēs  
Vātum pōnere mē chorōs ;  
Et iam dente minus mordeor invidō.  
Ō, testūdinis aureae  
Dulcem quae strepitum, Pīeri, temperās !  
Ō mūtīs quoque piscibus  
Dōnātūra cyncī, sī libeat, sonum !  
Tōtum mūneris hoc tuī est,  
Quod mōnstror digitō praetereuntium  
Rōmānae fidicen lyrae :  
Quod spīrō et placeō, sī placeō, tuum est.